

PRAETEREA. Actus contritionis eget auxilio Dei speciali: actus autem attritionis, de quo **Sco. & Caie.** loquuntur, sunt ex puris naturalibus: ut etiam ipsi fatetur. Ergo impossibile est esse idem: cum principia sint proorsus diuersa. Nec fieri potest, ut actus qui solo auxilio Dei generali à potentia producitur, idem numero à potentia cum auxilio speciali producatur. Et quod de hoc genere attritionis dictum est, patet, ac multo magis in reliquis.

Dubium secundum.

DVBITATVR circa illud, quod **S. Tho.** dicit, quod attritio procedit à sola potētia, vel à virtute acquisita: contritio autem est à virtute infusa & à gratia. Quomodo est possibile, quod contritio sit à gratia, cum contritio sit dispositio ad ipsam? Arguo igitur hoc modo. Contritio est dispositio ad gratiam. Ergo præcedit gratiam, & per consequens non est à gratia. Quia si à gratia est, iam post gratiam est. Ergo est prior & posterior respectu eiusdem, ordine saltem naturæ. Hæc autem implicant.

A D HOC dico, quod gratia, ordine naturæ præcedit contritionem, & contritio est effectus gratiæ, ita quod gratia est causa formalis contritionis. Hæc propositio est. **S. Tho.** hic expresse & supra. q. 26. ar. 5. quia in his locis dicit, quod principium contritionis est gratia. Et prima. 2. q. 113. art. 8. dicit, quod inter omnia quæ concurrunt ad iustificationem, primum est infusio gratiæ, secundū est motus liberi arbitrij in Deum, & tertiu est motus liberi arbitrij in peccatum, & vltimo est remissio peccatorum. Et supra. q. 27. ar. 6. ad. 1. expresse dicit, quod cōtritio est effectus gratiæ operantis. Si est effectus, ergo est posterior. Adduco hæc, ne aliquis dicat, quod **S. Tho.** dicit hoc in. 4. & non in Summa.

PRAETEREA. Contritio est meritoria: ut prouidetur suppono, probaturus inferius. Ergo est iam à gratia, quia nihil est meritorium, nisi à gratia procedat.

E T ad argumentum concedo quod contritio est prior gratia, quatenus dispositio est ipsius gratiæ, & est posterior, quatenus est eius effectus. Nec hoc est impossibile, in his quæ se inuicem requirunt, & in diuersis generibus causarū. Nec etiam inconuenit, idem esse prius & posterior respectu eiusdem, secundum diuersas rationes. Et hoc dicit. **S. Thom.** t. sec. q. 113. ar. 8. ad vnum argumentū Hoc quod dicimus de gratia, est verum de qualibet forma naturali, quia in introductione formæ naturalis hoc inuenitur, quod idem est prius & posterior respectu eiusdem: sed non secundum eandem rationem. Nam lumen, ut est effectus solis, prius est quam expulsio tenebrarum ab aëre, quia sol per lumen expellit tenebras. Si autem consideretur in quantum recipitur in subiecto, prius est expulsio tenebrarum: quia requiritur ad hoc quod lumen recipiatur in aëre, quod sint expulsa tenebrae. Vnde in genere causæ agentis, prius est

lumen, quam expulsio tenebrarum, in genere autem causæ materialis & dispositionis, prius est expulsio tenebrarum, quam lumen in aëre. Nec valet, si dicas quod hoc non est simile, quia tenebrae non sunt res positivæ: quia, esto tenebrae essent aliqua qualitas (ut quidam philosophi dixerunt, quod tenebra est quædam relatio realis) eadem esset ratio.

A L I V D exemplū est de calore ignis, qui producitur in aqua. Pono quod sit aqua frigida vt. 10. & volo quod frigiditas vt. 10. non compatiatur secundum aliquem calorem. Ad hoc quod introducatur calor in aqua, oportet quod expellatur aliquis gradus frigiditatis. Prius ergo est corruptio frigiditatis, quam introductio caloris in genere causæ materialis & disponentis. Et ita, si calor consideretur secundum quod recipitur in subiecto, prius est corruptio frigoris: sed ex parte agentis, prius est productio caloris, quia agens per calorem corruptit frigiditatem.

E T si dicas quod omnia ista non sunt similia, quia corruptio frigoris non est aliqua qualitas, sed motus liberi arbitrij est vera qualitas: dico quod hoc nihil facit, quia saltem ostendo, quod non implicat idem esse prius & posterius respectu eiusdem, secundum tamen diuersas rationes & considerationes, quia illa prioritas & posterioritas solū est rationis, secundū quod vnu requiritur ad alterū.

A L I V D exemplum est, tenendo duo quæ communiter tenentur à grauioribus theologis & philosophis. Alterum est, quod solum est vna forma in composito naturali: alterum est, quod accidentia corporalia sunt in toto cōposito, & non in materia sola. Et probatur hoc secundum: quia alias materia ageret, si haberet accidentia. Tunc capio lignū ex quo generatur ignis, & capio illā dispositionem vltimam ad formam ignis. Illa est prior forma ignis, & igne generando: quia est dispositio ad formam ignis requisita. Ergo prius natura est, quam ignis. Et probatur quod sit posterior. Illa dispositio est in toto igne. Ergo est posterior igne: quia subiectū est prius accidente. Ergo illa dispositio est prior & posterior respectu eiusdem, licet non secundum eandem rationem.

E S T aliud exemplum de apertione fenestræ & ingressu venti. Ingressus venti est causa apertoris fenestræ, quia ventus aperit fenestram. Ergo ille ingressus venti est prior quam apertio fenestræ. Et cōtra, apertio fenestræ est prior ingressu venti: quia presupponitur apertio fenestræ ad hoc quod ventus ingrediatur. Sic nūc dicimus, quod gratia est Spiritus sancti, quæ debet in anima intrare, & prior est, quam ipsa dispositio, quia per gratiam disponitur, sed in quantum recipitur in subiecto, prior est dispositio. Et hanc nostram sententiam probauit Henricus de Ganda quo. 5. q. 24. & allegat pro hoc Augu. contra Pelagianos, qui dicit, quod gratia iustificans, præcedit liberum arbitrium. Hanc sententiam tenet Maior

in. 4. d.

in. 4. d. 14. q. 1. in fine, & ponit exemplum de sanitate & ambulatione. Nam ambulatio est prior sanitatem, in genere causa efficientis, sed sanitas est prior ambulatione, in genere causa finalis. Et sic haec est securior sententia & verior, licet non sit de fide.

S E D Capre. in. 4. d. 14. q. 2. ad argumēta Henrī ci, dicit, quod actus contritionis est à solo libero arbitrio cum solo concursu speciali Dei, & non est à gratia effectiue. Idem dicit Bernar. de Gano co in quodam quolibeto, impugnando illum. s. quolibetūa Henrīci.

A T haec sententia prius videtur contra. S. Tho. vbi supra, & in prima. 2. q. 109. ar. 6. vbi querit, an homo possit se præparare ad gratiam sine gratia Dei, & respondet, quod nō: quia ille est error Pelagianorum. Sed arguit postea. S. Tho. in corporear. in quo videtur dicere id, quod dicit Capre. Quia, si ad hoc qd' homo præparet se ad gratiā Dei, requiritur gratia Dei. Ergo erit processus in infinitum. Nam si ad hoc quod me disponam ad gratiam, a, requiritur gratia, b, ergo ad hoc quod me disponā ad gratiam, b, requiritur gratia, c, & ita in infinitum. S. Tho. respondet, quod cum dici mus, ad hoc quod quis se præparet ad gratiam, requiri gratiam Dei: gratia, ad quam debemus disponi, est gratia habitualis gratum faciēs: gratia autem quæ requiritur ad eam, est auxiliū speciale, & ad hoc auxiliū nihil requiritur ad præparandum nos ad illud. Et ita præparatio ad gratiam procedit ex auxilio speciali. Et hoc videtur dicere. S. Tho. supra. q. 30. ar. 1. ad. 2. vbi dicit, quod ultima dispositio ad gratiā est actus primus poenitentis. s. contritio: actus vero sequentes alij procedunt ex gratia & virtutibus. Ergo contritio nō procedit ex gratia & virtutibus effectiue. Ideo haec opinio est probabilis.

S E D contra. Ergo. S. Thom. sibi contradicit. Ad hoc nego consequiam, immo ipse se declarat, quia dicit, quod actus poenitentiae, vel cōtritio, potest duplēiter considerari. Vno modo quantum ad essentiam suam, & ad hoc non concurrit esse & iue gratia, quia difficile est quomodo concurrat gratia ad substantiam contritionis. Et ita videtur, quod. S. Tho. in prima. 2. tenet, quod non requiritur donum habituale ad contritionem, sed sufficit auxilium speciale Dei. Vel sic est. S. Tho. intelligendus, nempe, quod alio modo potest considerari contritio in esse cōtritionis, vel in quantum contritio est. Declaratur hoc: quia contritio dicit motum perfectum, & illam perfectionem habet à gratia quod sit. s. sufficiens ad remissionē peccatorum, quod non habet de se, etiam cum auxilio Dei speciali, nisi adueniat gratia gratum faciens. Illa autem adueniente, fit dolor perfectus & sufficiens ad remissionem peccatorum, & fit contritio, & hoc est esse contritionem, & hoc est etiam gratiam concurrere ad contritionem, vel esse priorem. Et ita intelligunt antiqui: quia per

infusionem gratiæ ille dolor qui erat antea sine gratia, nec erat contritio, fit contritio quando venit gratia. Et probatur: quia actus humanus in quantum procedit à libero arbitrio, si sit in puris naturalibus, non esset meritorius, nec de congruo, nec de cōdigno: ita dolor liberi arbitrij, quæ tuncunque sit perfectus, si consideretur ut procedit à libero arbitrio, etiam cum concursu Dei speciali, nō acceptatur à Deo, nec est meritorius, nisi sit cum gratia. Ita dicendū est de cōtritione, quod gratia est principium contritionis, non inquantū est motus liberi arbitrij, sed inquantum est dispositio sufficiens ad gratiam, & ita videtur omnia dicta. S. Th. conuenire: quia considerato dolore, ut procedit à libero arbitrio, sic non sufficit, sed per hoc quod aduenit gratia fit sufficiens dispositio ad gratiam. Ita quod. S. Th. dicit, quod gratia est principium contritionis, id est, principium formale, & non effectiū. Sed tunc nō valet ratio. S. Th. quia etiam vos dicitis, quod contritio non est à gratia, sicut nec attritio. Dico quod valet probatio. S. Th. quia satis est, quod contritio est à gratia tanquā à causa formalī, & attritio nō. **S E D** melius est dicere cum prima opinione, ut dicit. S. Tho. supra. q. 26. art. 5. quia secundum hoc oportet dicere cum Caieta. & Scot. quod datur contritio informis.

S E D dubitatur. Vnde valet illa consequentia, Dubium. Contritio est à gratia & attritione. Ergo at tertium, tritio nō potest fieri contritio? Quia dilectio Dei quæ est à pura potentia, potest continuari & esse à gratia & charitate. Ergo etiam attritio.

A D H O C dico, quod dilectio quæ est à pura potentia, non est à charitate, nec potest esse à charitate. Et ita attritio quæ est à pura potentia, potest continuari & esse cum gratia, sed non à gratia, quia ille dolor qui est à gratia, est alijs ab illo qui erat à pura potentia, est enim supernaturalis, & alijs naturalis.

D U B I U M contritio sit meritoria. quartum,

A D H O C aliqui dicunt quod non. Quod mihi aliquando visum fuit. Prius, quia contritio, cū sit dispositio ad gratiam, est ante gratiā. Sed nullus actus est meritorius, nisi eum præcedat gratia. Ergo prima contritio non est meritoria.

S E C V N D O. Hoc probatur ex. S. Tho. p. p. q. 6. arti. 2. ad. 3. in haec verba. Triplex est conuersio in Deū. Una quidem per dilectionem perfectā: quæ est creaturæ iam Deo frumentis. Et ad hanc cōuersiōem requiritur gratia consummata. Alia conuersio est, quæ est meritum beatitudinis. Et ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia conuersio est per quam aliquis præparat se ad gratiam habendā. Et ad hanc nō existit aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei, ad se animā cōvertentis: secūdum illud, Converte nos Domine ad te, & cōvertemur. Treno. 5. **S E C V N D O.** Doctor sanctus supra, q. 30. art. 1. ad. 2. inq.

Iad. 2. inquit. Actus primus poenitentis se habet, ut ultimi dispositio ad gratiam consequendam. si contrito: alij vero sequentes actus poenitentiae procedunt iam ex gratia & virtutibus. Ergo contrito primi non est meritoria.

HIS non obstantibus, dico quod prima cōtrito est meritoria gloriæ: sed nō est meritoria gratiæ.

Hec conclusio est. S. Tho. i. sec. q. iii. art. 2. ad. 1. Et probatur prius, quia est operatio amici Dei ordinata in finē supernaturalem, & charitatis, procedes ab ipsa charitate ordinata. Ergo est meritoria

S E C U N D O. Ut supra probauimus, cōtrito procedit à gratia, ad minus tanquam à causa formalis: quia ipsa cōtrito est ultima dispositio ad gratiæ.

Et omnis ultima dispositio ad aliquam formam, est ab illa forma tanquam à causa formalis. Ergo cōtrito illa prima est à gratia. Ergo est meritoria.

T E R T I O. Fingamus hominem post primam illam contritionem statim ab ista vita decendentem. Quero, an dabitur isti aliqua gloria? Mani-

festum est quod ita, quia iam doluit de peccatis propter Deum. Tunc quero, an ille homo meri-

tus fuerit illam gloriam, vel non. Si meritus fuit, ergo intentum. Si dicas quod non meritus fuit,

ergo adulto, seclusis sacramentis, datur gloria, absq; merito proprio, reclamante Paulo, priore ad

Corinth. 3. Vnde quisq; propriam mercedem acci-

piet secundum suum laborem. Et Matth. 20. nemo diurnum accepit denarium: nisi qui in vinea labo-

raverit. Et psal. 61. Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddis vnicuiq; iuxta opera sua.

Q U A R T O. Primus actus charitatis est me-

ritorius, cum sine dubio sit opus amici Dei, maxi-

me Deo placens, Ioan. 14. Qui diligit me, ego ma-

nifestabo ei me ipsum. Sed prima cōtrito sequi-

tur primum actum charitatis à quo proficiscitur.

Ergo est meritoria.

Q U I N T O. Pro hoc est Aug. in lib. de vera &

falsa poenitentia, ca. 17. ubi sic loquitur, de his qui

in fine poenitentiam agunt. Cū fructifera poenite-

tia opus sit, non hominis, sed Dei, inspirare eam

poteat, quoniam vult sua misericordia, & ex misse

sericordia remunerare, quos damnare potest ex

justitia. Et cap. vlti. id ipsum Aug. dicit poeniten-
tiam, non tantum indulgentiam promittere, sed
certa præmia.

S E C U N D A pars conclusionis, quod cōtrito non sit meritoria gratiæ, probatur. Quia prima gratia datur gratis, sed prima gloria datur pro merito.

S E C U N D A contra. Gratia prima est acceptatio ad vi-

tam aeternam. Ergo qui meretur vitam aeternam, meretur acceptationem ipsam, quæ est gratia pri-

ma. Ad hoc nego antecedens, loquendo formaliter: immo est acceptatio ad consortium diuinæ

naturæ, ut deinceps mereatur augmentum gratiæ & gloriæ. Sed per primam contritionem forma-

liter non acceptatur homo ad merendum primam gratiam, sed per primam gratiam acceptatur ho-

mo ad participationem bonorum supernatura-

rum, quæ simpliciter faciunt homines bonos, qua-

lis est charitas & ceteræ virtutes infusæ, per quas

admissus homo ad Dei amicitiam & gratiam, aet-

ernam gloriam proprijs actibus mereatur. Exe-

plum est de anima, quæ cum sit actus primus, dat

esse, & vivere, & animam ipsam consequitur po-

tentia naturales, intellectus. s. & voluntas, per quas

operatur ad consecutionem finis. Sic igitur & gra-

tia vita quædam animæ est, quæ illi, & vivere, &

esse diuinum prestat, quam charitas & reliquæ

virtutes consequuntur, quarum operationibus ho-

mo finem suum consequetur. Potest esse secundo

exemplum morale. Nam cum quis incipit gratias

esse principi, opus non est, ut per talenm primam

gratiam acceptus sit ad ultima præmia, atq; præ-

cipua, quæ videlicet princeps fideliter seruienti-

bus preparauit: sed per talenm primam gratiam

intelligitur admitti in donum consortiumq; eiusdem

principis, dariq; ei facultas intelligitur, ad præ-

mia quæcumque fidelium amicorum promerenda.

Sic igitur dicendum est de prima gratia.

Ex quibus colligitur male dixisse Ioannem Meti-

nensem in suo codice de poenitentia. q. 8. posse. s.

hominem mereri apud Deum, nō solū per actus

qui ex charitate procedunt, sed etiam per actus pos-

nitendi, & Deum diligendi, licet a charitate præ-

cedenti non fiant: quia (ut dictum est) ad merita

dum prærequiritur gratia.

Et ita impositus est finis huic prima. 4. ad laudem Omnipotentis Dei. Re-

liqua autem, quæ statim erant dicenda, nempe, de obiecto con-

tritionis, & alia per ordinem scriptorum. S. Tho.

in. 4. iam manent in pælo, cito in lucem

mittenda.

C O N I M B R I C A E.

Excudebat Ioannes Aluarus Typographus Regius.

M. D. LV.



Hec sunt errata in hoc codice, vel qua aliqua
indigebant aduertentia.

Folio. 8. coluna 2. vbi legis secundum sanctum Tho.
p.par.q.10.art.1.lege.p.par.q.100.art.1.
Folio. 59. col. 3. vbi legis, candide lector, quod solus mi-
nister ordinatus causat gratiam in baptismō instru-
mentaliter, &c. intelligitur quod minister qui habet char-
acterē Christi, cum sacramento causat instrumentaliter
gratiam: & paganus, aut non ordinatus minister, non,
sed solum sacramentum causat ibi gratiā instrumen-
tum, licet oppositū (vt ibi dicitur) sit probabile.

Folio. 61. col. 4. vbi legis, homo potest instituere sacra-
mentū circuncisionis, id intellige (vt ibi declaratur) sup-
posito, vt iā nunc certū habetur ex. S. Tho. & ex cōcilio
Tridentino, quod illa circūcisio ut erat signū sensibile,
nō dabat gratiā, sed sola fides ibi p̄testata, nec habebat
aliū effectū spūalē. Hō poterat illud instituere vt sicut si
esset in lege naturae: vel currēte ipsa lege veteri illis qui
nō erāt de populo Israelitico, sed postquā Deus instituit,
non poterant hoīes non vti illo sub poena damnationis.

Folio. 75. vbi legis, sacerdos excommunicatus nō peccat
ad ministrādo sacramentū, &c. intellige quādō illud ad
ministrat ad instātiā alterius fidelis nō excommunicati,
vt dicit cōciliū Constātiens, & dūmodo non inducatur
ad agendū sacrū, vt ibidē declaratur: ipsi autē excommunicato
nunquā licet se intromittere ad cōmunicandū
cum alijs fidelibus de se, nisi prius aliis fidelis incipiat,
iuxta formā concilij: vt ibi declaratur.

Folio. 136. vbi legis quod aliquis potest esse in gratia an-
tequā habeat fidē Christi, &c. intellige explicite. Et hoc
apparet aliquo modo probabile, vt apud illos qui nihil
audierūt de Christo, & faciunt totū quod in se est. Nā
implicitē semper requiritur fides, vt etiā ibidē tāgitur,
& dicit. S. Tho. P. 2. q. 89. ar. 6. & Sec. 2. q. 10. ar. 4. ad. 3. Sa-
lute autē aternā nūquā quis hēbit sine fide Christi expli-
cita: licet alij teneat oppositū qđ videtur sentire. D. Th.
Sec. 2. q. 2. ar. 7. & 8. ego autē hoc præfui tra. Et ab in. 2. 4.

Folio. 153. vbi legis, Si in capillis fiat aspersio aquae, cre-
do quod est baptismus, intellige quod mihi sic videtur
probabile propter ea quæ ibi citauit ex factis. D. Petri,
&c. quia sic lauatur in capite ille qui baptizatur, qđ est
principia pars hominis: sed in dubio securius est quod
talis rebautizetur sub conditione.

Folio. 150. vbi legis, Si amētes existētes in pētō baptizen-
tur pbabiliter pōt teneri, qđ remittitur eis peccatū, in-
telligo de illis, qui in prudētia cū essent, voluerūt bapti-
zari, apparuerūtq; in illis signa doloris: & intelligo quod
hoc nō est cōtra scripturā, nec cōtra aliquā Ecclesiæ defi-
nitionem, licet, vt ibidē dico, oppositū reputo tutum.

Folio. 216. vbi legis, vsq; ad Ecclesiae determinationē pōt de-
fēdi qđ in sacramēto cōfirmatiōis nō necessario requi-
ritur aliq materia, intelligo qđ, quia Caiet. & alij aliqui
doctores illū dicūt, nō est meū nec aliorū doctořū illud
cōdēnare, quoisq; ecclia cōdēnet, licet ego oppositū cre-
dā certū, & de fide, vt ibi dico, & probō latē cōtra alios.

Folio. 224. col. 2. vbi legis, simplex sacerdos ex cōmissiōe
Epi, posset cōfirmare, si Papa nō restingeret, intelligo qđ
hoc mihi videtur dicere cōcilia quæ ibi ad hoc adduco.
Rūdeat qui melius intellexerit, ad illa cōcilia: licet, quia
illa concilia erant provincialia, oppositum credo verū.

Folio. 294. col. 1. vbi legis, primū instans esse corporis
Christi, est ultimū instans esse panis sub accidentibus,

Aliqua alia menda fortē reperies Christiane lector, ex defectu alicuius literæ, sed facile cōprehendes ex inci-
ria excusorū prouenire. Tu boni consule, & fidē sacrosancta Romanæ Ecclesiæ semper meū cōfite, quā roca
mente semper profiteor, & in ea mori protector, cui me & omnia mea semper submitto.

lege, primū instans esse corporis Christi, est primū
instans non esse panis sub accidentibus.

Folio. 375. vbi legis, sacerdos existētes in peccato, cuius iā
celebrans recordatur, & si sine scādalo posset, cōfiteri nō
tenetur, intelligo quando iā est in processu Missæ quā
bona fide incepit sine conscientia peccati mortalis: quia
(vt ibi dico) nō tenetur interrūpere Missam quā sic ince-
pit, sed dolcat de peccato, & proponat cōfiteri postea, &
idē dico de laico, postquā bona fide sine conscientia pec-
cati mortalis est iā ad mensam Christi cū alijs cōmuni-
catur, præsertim qđ raro aut nūquā fit sine scādalo.

Folio. 448. vbi legis, Sacrificiū Missæ est merē represen-
tatiū eius quod in Cruce semel est per actum, intellige
quod hēc omnia sunt formalia verba cōciliij Colonien-
sis: & ego intelligo quod quatenus Ecclesia illud sanctū
sacrificiū Deo patri offert, vt offerat solū in memoria
Christi in Cruce oblati, prout sic est merē representa-
tiū. Sed quatenus Ecclesia pro se offert in eo Christum
verū, satisfactionē & gratiā augmentū significat, & su-
mentibus cōfert, & pro quibus offertur, satisfacit. Itaq;
nō est solū representatiū (vt Lutherani dicūt.) Et sic in-
telligo illud totū qđ ex illo cōcilio Coloni. ibi deduxi.

Folio. 512. col. 2. vbi legis, quod nō est præceptū obligās
ad nouū peccatū mortale de poenitentia interiori habē-
da: illud dixi de aliquorū opinione: sed ego oppositam
credo veram: vt ibi & alibi dico.

Folio. 540. vbi legis, cōtritio est elicita à poenitentia in-
fusa, & poenitentia virtus est infusa à natura sua: intelli-
go quod poenitētia virtus illa cuius actus sanctificant,
nō potest viribus humanis adquiri, sed est talis natura
quod non potest esse nisi per infusionem

Folio. 587. col. 2. vbi legis, esto quod minus in se esset
æquale, &c. lege, esto quod munus in se esset æquale. Et
ibidē, vbi legis, Adamo est data innocentia pro tunc li-
beraliter, & non ob passionē Christi intellige quod illa
gratia & innocentia in qua Adamus fuit creatus æquā
peccaret, nō fuit ob passionē Christi: quia si Adamus sic
perseueraret, & nō peccaret, Christus nō incarnaretur,
& sic nee esset Christi passio: sed omnis gratia & glo-
ria quæ data est, & dabitur hominibus postquā peccave-
rūt: datur virtute passionis Christi, qui nos redimit suo
sanguine sacratissimo.

Folio. 618. col. 1. vbi legis, quod nō solū satisfactio im-
posta à sacerdoce, est pars sacramēti poenitētis, sed ēt alia
sumpta à poenitētē & nō imposta à sacerdoce: intelligo
de illa quā poenitētis sibi assūmit ibidē in sacramēto. Vt si
sacerdos imponat tres dies ieiunij: & poenitētis proponit
& acceptat ieiunare 4. vel sex. & sacerdos consentit.


Folio. 618 col. 1. vbi legis, ad verā cōtritionē nō requiri-
tur formale propositū cōfendi, intelligo quod sufficit
pponere, in futurū cauere ab oī peccato, & seruare oīa
mādata Dei: quia cū mādatū de cōfessione sit vnū Dei
mandatū, iam ibi intelligitur. Oppositū autē est securū.


Folio. 16. col. 1. vbi legis, sed contra questionē qua dici-
tur, &c. lege, sed contra conclusionem, &c.

Folio. 162. vbi legis, In baptismō aquae remittūtur pecca-
ta etiā remissa per contritionē, intellige, quia apponit
scđū remissiū qđ remitteret, si nō inueniret remissiā.

Folio. 155. vbi legis, Circūcisio potius erat ad distinguē-
dū populu quā ad tollendū originale, lege, Circūcisio po-
tius erat ad delendum peccatum originale quam ad di-
uidendum populum.







LE DESM
PRIMA

A.

Sala R.
Gab.
Est.
Tab. 58
N.